

1538 Barbarus, Pandulphus Maurocenus, Jacobus Justinianus, Leonardus Haimus; pro pace Thomas Mocenicus, Aloysius Gradonicus, Marcus Antonius Grimanus, Philippus Tronus, Joannes Delphinus, Franciscus Donatus, Victor Grimanus; ejusdem quoque sententiæ Andreas Gritus Princeps erat, cui præter in Republica administranda prudentiam, Turcicarum rerum cognitio, atque usus magnum auctoritatis pondus addebant. Tandem iij. kalend. februarii, cum in suffragia ad mediam noctem itum esset, duobus ea vicit sententia, qua, pace rejecta, in foederis conditiones subscriberetur. Kal. februarii coacto Senatu, singulæ foederis conditiones confirmatæ fuere; quarum summa hæc fuit. Nempe

*Decretum
de fœdere
contra Tur-
cas incun-
do.*

*Fœderis cõ-
ditiones.*

Fœdus, ac societas pro rebus communibus tuendis, atque hostibus invadendis, adversus Suleimanum Turcarum Regem a Paulo III. Pontifice Maximo, Carolo V. Imperatore, Venetorum Republica iniretur. Bellum autem his opibus administraretur: triremibus ducentis, armatis navibus centum, quinquaginta peditum millibus; nimirum viginti Italarum; totidem Germanorum; decem Hispanorum; quatuor millibus ac quingentis in Sequanorum morem, instructis, equitibus; his tormentorum bellicorum, pulveris sulphurei, atque aliorum apparatus vis adjiceretur: quæ omnia singulis annis veris æquinoctio in promptu essent.

Pontifex triginta sex triremes, Cæsar octogintaduas, totidem Veneti instruerent, ut ducentarum numerus efficeretur: Pontifici triremes fabrefactas, armamentisque omnibus adornatas Venetus daret: Cæsar onerarias naves militarem in morem instructas, ad commeatus, pedestresque copias convehendas suppeditaret, ea conditione, ut, rationibus subductis, sociorum sumptus æquarentur, ac Venetis ea argenti vis penderetur, quam in triremibus supra octoginta duas instruendis insumpsissent. Totius impensæ ratio hunc in modum inter Principes distribueretur. Sextam Pontifex, ternas Cæsar, binas Respublica solveret; frumenta, & commeatus ex sociorum regionibus asportandi, æquo pretio persoluto, absque vectigali, atque portorio singulis facultas esset.

Societati Ferdinandus Rex Romanorum, cujus se vadem Cæsar præstaret, adjungeretur, hac lege, ut collectis copiis, a
Pan-